



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Capvt. II. De obligationibus Capellani, vel Sacerdotis in celebrandis Missis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

ro levi solum venialiter obliget) si non celebret venialiter peccare: at accepto stipendio in urgente necessitate, mortaliter, quia hic est quid grave propter respectum ad necessitatem urgentem, ibi non item, ut diximus n. 9.

13. Dixi (homini) nam si fiat Deo promissio procedit doctrina data n. 29

§. X. Super illud §. primi, n. 13. Capulas auferant, &c.

Vbi,

Præcipitur, ut ab Ecclesiis auferantur Capula cum inscriptione elemosynæ pro Missis.

1. Præcipit id merito Sacra Congregatio, ne per illas elemosynas confusas, sua intentione frustrerentur Fideles.

2. Et quia dubitatum fuit, An pœna interdicti, &c. extendatur ad non tollentes has Capulas, Respondit *ibid.* n. 41. non extendi.

3. Dubitatum insuper fuit, An deberent etiam tolli Capulae apponi solite in die Commemorationis Defunctorum cum inscriptione *Casse de mori*? Respondit n. 42. debere.

4. Dubitabis, an qui in sua Ecclesia non habuit talem capulam, atque adeo nunquam contraxit obligationem, illam auferendi, possit de novo sine timore horum Decretorum apponere? Rursus, Quid si quis auferat, sed deinde post aliquot dies reponat? hi enim non videntur ire contra Decretum, cum non negligant auferre, sed de novo ponatur.

Respondeo, utrosque ire contra Decretum, Ratio est evidens, quia statim atque capula in Ecclesia apposita à te de novo est, consurgit obligatio illam auferendi, ergo ni auferas, Decretum non servas. Adde non vitare pœnam legis eum qui in fraudem legis operatur, *Non dubium, de legibus.*

Hic nihil præterea superest explicandum, vel addendum.

§. X I. Super illud §. primi, n. 14. Episcopus verò, &c.

Vbi,

Cavetur ne Superiores prædictam licentiam concedant, nisi ipsis constet onera suscepta, & suscipienda correspondere redditibus.

1. Id ita perspicuum est, ut alia explicatione non indigeamus.

§. X I I. Quid peccet, qui prædicta decreta non observat?

1. Certè hic aptus videtur locus decernendi, An singula hæc Decreta de Celebratione Missarum obligent ad mortale?

Qui non distinxerunt, confusè satis hanc difficultatem petrastrarunt. Adverte ergo in his Decretis variè loqui S. Congreg. & secundum varietatem verborum de gravi, vel levi obligatione ab ipsa nobis, imposita esse indicandum. Dico (ab ipsa imposita) nam de obligatione orta ex natura delictorum, ut in defraudante de Missis promissis, de non observante Fundatoris mentem, & similibus sparsim habes in toto hoc Opusculo in suis locis.

2. Jam vero Primum Decretum positum §. 1. n. 7. ubi interdictum Episcopis, & Generalibus reductio Missarum, est sub his verbis: *Districte prohibet ne, &c.* & sub illis: *Alioqui reductiones, omnino nullas, atque inanes decernit.* Obligat ergo hoc primum Decretum ad mortale. Ratio est illa, quam insinuavimus §. 8. num. 17. quia hoc præceptum est absolutum. Adde quod Episcopus per reductionem, quam faceret esset causa, ut non celebrarentur omnes Missæ à Fundatore præscriptæ, ergo cooperaretur ad iniuriam.

3. Secundum Decretum *ibidem* positum n. 10. ubi præcipitur tot esse celebrandas Missas, quot fuerint delicta, & Graviter peccant. Ergo peccare mortaliter facientes, ex dictis §. 8. n. 2. palam est.

4. Tertium Decretum positum n. 9. ubi revocantur privilegia, certum est obligare ad mortale: qui privilegia revocatis, atque adeo nullis in re grati peccatum est.

5. Quartum Decretum positum n. 10. ubi prohibetur Sacerdoti partem elemosynæ Missæ sibi retentione obliget, dixi supra §. 5. n. 6.

6. Quintum Decretum positum n. 11. de intermissione pecunie, fertur sub hac clausula: *Sub pena intermissionis gressus Ecclesiæ ipso facto incurrendæ.* Obligatio secundum opinionem, quam quis habet circa delicti gravitatem, & efficaciam, iuxta dicta n. 11. tim. num. 18. Nota tamen hic facile delinquitur contra Fundatoris, si tua negligentia officiat perpetuam Missarum.

7. Sextum Decretum positum n. 13. ubi præcipitur recipiantur elemosynæ manuales pro Missis non recipientibus satisfactis sub hoc imperativo edicuntur: *ut accipiant.* Cum ergo quando per verba Imperativi edicuntur, aliqui ad nullam culpam obligant, aliqui illam venialem, aliqui iuxta materiam gravitatem levem, & omnes quidem probabiliter, apud Castellanum d. 1. p. 9. n. 3. ita hic dicendum erit.

8. Denique Septimum Decretum positum n. 14. ubi prohibetur, ne Episcopi facultatem concedant de rebus Missarum, nisi facta diligentia, etiam habenda illa verba imperativa, *Diligenter inquirent, quantum Episcopi negligentia datum fiat Fundatori, interdicendum quod numero præcedente dictum est de hoc Decreto.*

Ad quid teneatur Successor, quando prædicta Decreta observandis fuit negligens.

9. Petes An etiam Prælati Successor in hæc pœnas & pœnas incurrat, si negligens sit in observando prædictis, quæ Prædecessor non observavit?

Respondeo. Regula generalis sit quod Successor solum peccat incurritque pœnas dictas, cum non observata à Prædecessore, potest ab ipso observare, immunitis erit Successor. Hinc fit, quod si Prædecessor deposuit pecuniam pro Missis apud eundem Sacerdotem non abstulit capulam ab Ecclesia, si non fecit contra Missas ex stipendio iuxta voluntatem illas expellere, & iuxta hæc Decreta, &c. ipse Successor teneatur. Prædecessor in sumpsit pecuniam in aliis usus, &c. non possit talis pecunia haberi propter paupertatem Monasterij (nam cæterum debet adhiberi diligentia à Successore ut habeatur, quia Successor utpote nunc ad hoc perior, teneatur quantum potest voluntates Fundatoris Monasterio commissas nondum completas adimplere, vel si implicavit non servatis servandis, vel si quævis onus sine licentia, vel suscepit Missas, quæ nunc tamen satisfieri possibile est, ad nihil Successor teneatur quia hæc mala sunt irreparabilia.

CAPVT II.

De obligationibus Capellani, vel Sacerdotis celebrandis Missis

1. Quoniam non omnia, quæ ad obligationem celebrandæ Missæ pertinent, explicare in prædictis Decretis Sacra Congregatio proposuit, unde necesse est, ut deinde interpretantes, in medium afferre universa præcepta: nonnulla quæ supersunt, breviter in sequenti exhibere, operæ pretium erit.

Cap. III. De Tempore obligationis. 181

§. 1. De loco, ubi celebrare quis tenetur.

Quoad peccatum.

Pro hac re duas regulas præ oculis habe. Regula prima. Quando Fundator, vel quicumque Missas, largitus sit, postulat, eligat talem Ecclesiam, Capellam, altare v. g. privilegium, principaliter ut ibi præsentia sua Officiatura Missæ adsit, peccatum est ex genere suo mortale alibi celebrare: Ita Bonac. pag. Barbo. Ricc. alii- que apud March. de ord. tract. 3. p. 2. c. 14. an. 1.

Regula Secunda. Quæso vero principalis finis fuit velle Missæ Applicationem, non est peccatum mortale alibi celebrare, imò ne veniale quidem, quando constat non curari, nisi de Applicatione. Ratio prioris. Regula est, quia tunc fit contra mentem erogantis elemosinæ. Ratio posterioris est, quia cum Sacrificium sit, in quocunque loco, ejusdem valoris; contra disponentis mentem, saltem, in re gravi, nequaquam fit.

Quæ ratione constare possit exposcentes Missas, Præsentiam, non vero Applicationem, vel contra intendisse: diximus supra c. 1. §. 3. an. 15.

2. Dixi autem in prima Regula, ex genere suo, nam dari hac in re parvitatem materię, unde solum veniale peccati posset, non est ambigendum. Certe Capellanum obligatum toto anno Missam quotidianam in certo Altari celebrare, si bis, vel ter in anno ibi non celebrat, excusant à mortali propter parvitatem materię communiter Doctores cum Dian. p. 2. tr. 14. ref. 29. Ego certe, si uno vel altero die feriato, singulis mensibus alibi quis celebraret, non iudicarem in gravi materia delinquere. Obligatum celebrare in Altari privilegiato, si alibi celebret, facilius attingere posse gravitatem materię, quam obligatum in communibus Altaribus, ipsa naturalis ratio dicit, quia nimirum ibi magis inviti sunt Fideles, quam hic.

3. Excusat item facilius, & merito Delugo de Euch. disp. 21. sect. 2. n. 36. celebrantem in alio Altari, quam in designato, sed in eadem Ecclesia, quam celebrantem in alia Ecclesia à designata: quia scilicet tunc minus receditur à voluntate Missam exposcentis.

4. Notaturque ibid. Delugo, Capellanum quotidianæ Missæ ex rationabili causa celebrare raro alibi, quam in loco designato, neque esse veniale, quia non censetur Fundator cum tanto rigore suum Cappellanum obligare voluisse.

Illud non est omittendum, si constet Missas esse assignatas in tali loco, ut frequens populus audiat Sacrum, contingat autem nullo, aut valde paucos ad Missam accedere, posse alibi celebrare, nisi aliud expressum in Fundatione Missæ sit. Ratio est, quia cessante causa præsumitur Fundator velle, ut cesset effectus.

Quoad restitutionem.

5. In hac dubitatione, illud observari debet. Ad quidnam tenetur Sacerdos, ad Præsentiamne, an etiam ad Applicationem? Si ad Applicationem, & non applicat, iam diximus supra c. 1. §. 6. n. 10. & n. 16. ad restitutionem solum stipendij obligari. Quod si finis, propter quem erat Missa applicanda, adhuc persistat, dubium non est, quin ad applicandum teneatur, retento sibi stipendio: quia res integra est & pactum initum servari potest.

6. Si vero debeat Præsentiam, nec tamen celebret in loco designato. Aliqui docent obligari, siue omillas Missas in loco præscripto celebrare per se, vel per alium, siue restituere stipendium, & si sit Beneficiarius restituere fructus Beneficij. Ita Azor. Fagun. Riccius apud March. de ord. tr. 3. p. 2. c. 24. n. 7. Aliqui negant obligari ad restitutionem ullam. Ita March. ibid. aliique apud ipsum. Ratio illorum est, quia talis Sacerdos non fit contractui. Ratio horum est, quia licet hic non steterit contractus, cum defecerit in Præsentia, unde & ex genere suo peccaverit mortaliter ut, n. 1. diximus: tamen non peccavit in substantia contra iustitiam, sed contra fidelitatem, quandoquidem dum alibi celebravit ut supponimus, non privavit Fundatorem fructu de bitu Sacri-

Part. II.

ficij: quod ejusdem valoris est, ubicumque offeratur.

7. Hæc posterior sententia mihi magis placet quam confitimo, quia hic non debet stipendium reddere, et in jam applicuerit Missam suo stipendio dignam. Nec debet Missam omissem repetere, quia vere illam non omisit, ut supponimus, sed dixit, applicuitque pro Fundatore, licet in alio loco à designato: solum igitur deberet supplere honorem loco designato debitum, vel commoditatem, quam populus habuisset audiendi Sacrum, sed hanc commoditatem non potest restituere, cum dies illa jam præterierit: illum vero honorem nec restituere tenetur, quia ille idem honor, cum fuerit additus ad illum diem (erat enim cultus illo die exhibendus) non amplius obligat: imò per novum cultum, qui hunc exhibetur, præteritus honor neglectus non refertur, quia homines non advertunt ad antecedentem defectum, quem delere, hoc præsentis cultu intendit Sacerdos.

Non approbatur Diana nec Bonacina.

8. Diana p. 2. l. 14. ref. 29. asserit prædictum Sacerdotem non teneri ad restitutionem, nisi tamen aliquod Suffragium Defunctis subtraxerit, quia videlicet, si in designato Altari celebrasset, aliqui ad eum locum convenissent, ut sacro interessent, & mortuos precibus adjuvassent; & in hoc casu (ait) debet Sacerdos aliis precibus compensare.

Sed non placet hæc doctrina, scrupulosq; ingerit Sacerdotibus. Quæso enim te, edisserere, quot quantasque orationes compensabit? Decerne, quot numero fuissent illi, qui in tali Altari Sacrum audissent, quot, qui defunctos orationibus adjuvassent; quanta intermissione orassent, quantum, dum Sacerdos compensat, intermissionem exhibeat? hæc enim nosse oportet, ut ad quantum Sacerdos obligetur, & quantum det, decernatur.

At, inquit, hæc à nobis determinari non possunt. Rectè, ergo per illam doctrinam nihil egisti, nisi quod scrupulos ingessisti. Sare quando res tanta laborat in determinatione (cum subiaceat multis erroribus) reduci ad praxim moraliter non potest, unde nec debet. Lege in simili Delugo de Penit. d. 16. sect. 15. an. 606.

9. Bonacina de Euch. d. 4. q. ult. p. 7. §. 4. n. 5. per similitudinem incedens viam, asserit non esse obligandum Capellanum, qui Missam debitam alibi celebravit, nisi forte quatenus interea Fundatoris Missam alibi fuisse celebratam, ut si exempli gratia, non celebravit in Altari privilegiato: hic enim violavit fidem datam, cum detrimentum alterius.

10. Verum, pari modo, hæc limitatio in probari potest. Nam inquiri, quantum in portat celebrare in Altari privilegiato? Dices importare plenariam Indulgentiam, atque adeo integram animæ purgantis liberationem. Respondeo. Quid si illa anima erat inter Beatas in Cælo? illi damnum non fecisti, & illi, cui forte illa Indulgentia applicata fuisset à Deo, tu nihil ex justitia debebas. Deinde (dato quod fuisset certa Indulgentia Plenaria) hæc non est ad æqualitatem pro omnibus: Animæ enim debenti ut duo prodest Indulgentia Plenaria perfecte illam liberando ab igne: & Animæ debenti ut centum prodest dicta Indulgentia, illam similiter liberando. Quid ergo faciet in tanta indeterminatione Sacerdos? compensare tenetur ut decem, an ut centum? Iterum dices. Celebret deinde, sed in Altari privilegiato: nam sic compensabit quantum Deus novit esse necessarium illi animæ, cui detrimentum factum est. Respondeo, ex hoc jam habemus talem Sacerdotem non teneri ad Orationes, quia nescit quantæ necessariæ sint: Sed nec ad iterum celebrandum in Altari privilegiato illum obligare sub novo peccato audeo, (quamvis, ut id faciat, omnino consulo) Ratio est, quia ut si præ cap. 1. §. 9. num. 10. & num. 16. vidimus, nec Fideles Sacerdotes censentur contractum inire sub obligatione restituendi tale damnum spirituale, sed solum sub obligatione ei ipsæ. Adde quod hic Sacerdos sic cogretur multò plus reddere, quam deberet, ad quod certe nemo cogendus ex justitia.

Q

stia

stitia est, nam ipse debebat Applicationem unius Missæ, licet in Altari privilegiato, quam Applicationem, quamvis in Altari non privilegiato, jam dedit; si ergo nunc obligatur iterum applicare Missam in Altari privilegiato, redderet Applicationem duarum, nempe jam datam in Altari non privilegiato, & hanc præsentem in privilegiato.

Comparatio Altaris Privilegiati, & Calculi Benedicti.

11. Dubitabis, hac occasione, insuper An Sacerdos ob acceptam elemosinam obligatus in Altari privilegiato celebrare, satisfaciat alibi celebrando, prætextu, quod se cum habeat Calculum, seu Numisma benedictum, cum quo æqualis Indulgentia Plenaria acquiritur?

Quamvis aliqui concedant, quia sic Sacerdos satisfaciit per æquipollens, utroque enim modo applicatur Christi merita Ita March. de ord. tr. 3. p. 2. c. 24. n. 8. Fraxin. Megal. Pasq. apud Lezzan. v. Missa. n. 45. Tamen omnino puto cum Delugo de Euch. d. 21. sect. 2. n. 39. nequaquam satisfacere. Ratio est, quia regulariter Indulgentia applicata Altari, solet esse magis authentica, & secuta, quam quæ applicatur calculo, & fortasse minus dependet à statu gratiæ ipsius celebrantis, ut habeat effectum. Adde fideles adeo esse ad. Cos. (& merito) ad Altaria privilegiata supra Calculos benedictos, ut profusus per hos non præsumantur satisfacti.

12. Neque valet dicere satisfieri per æquipollens. Nam obstat ipsa iustitia contractus, quando enim contractus expresse initur de aliqua re determinata, v. g. de hoc equo, non servatur iustitia, dando alium equum, quem nullo modo vult alter contrahens: Ita Molin. de contrah. dist. 562. & passim. Multo magis, si equus sit vendito deterior, aliud enim pro alio, invito creditore, solvi, ex vulgaris legibus l. 2. §. 1. ff. si ceri. per. l. eum a quo, C. de solut. non potest. Si ergo tecum Missam expostulans contraxit de Altari privilegiato, excludit æquipollens; multo magis Calculum, qui non est simpliciter æquipollens, cum sit minus securus, quam Altare.

§. I. De Dispensatione alibi celebrandi.

1. Poteest Episcopus sine dubio in hoc dispensare, quia in iis, quæ passim occurrere possunt, habet is dispensandi potestatem, ut alibi diximus. Ita Bonac. de Euch. d. 4. q. ult. p. 7. §. 4. n. 4. Barbof. de potest. Episc. r. 2. all. 28. n. 8. Nald. v. Missa. n. 34. Lege Pasq. decis. 429. qui id extendit ad Rectores Ecclesiarum. Cum autem de natura dispensationis sit, ut addit causa rei dispensandæ proportionata, & hanc adesse hic debere semper supponendum est. Et quidem legitima sine dubio causa esset utilitatis propriæ Ecclesiæ, applicatio studendi, necessitas infirmitatis, & similia, bis, vel ter in anno posse alibi celebrare Capellanum quotidianæ Missæ, diximus §. 1. n. 4. ex interpretativa voluntate Fundatoris.

2. Sed quid? præter licentiam Episcopi requiriturne consensus Patroni, vel Hæredis? Rursus solus consensus Patroni, vel Hæredis, sine Episcopi nutu, satisne erit? Respond. ad primum, non requiri. Ita Bonac. l. cit. §. 4. n. 3. Ad secundum, non satis esse. Ita Barbof. loc. cit. alleg. 24. n. 35. fin. Ratio utriusque est, quia Episcop. non autem hæres clavem habet dispensandi. Fateor int. tim. imò ad-vento hæredis, patronive voluntatem, ad evitanda scandala, esse ex consilio requirendam.

CAP. V. T. III.

De tempore obligationis celebrandi.

§. I. An obligatus celebrare quotidie possit quandoque?

Postulans Missam, vel principaliter intendit etiam talis Altaris per celebrationem Missæ, vel

principaliter intendit ipsam Missam in tali Altari, dicitur electa persona Sacerdotis, ibi locus Altaris, Verum quandonam iudicabitur electa persona, & do locus?

2. Dico recurri debere ad verba Fundatoris, si electus sit locus, vel si electa sit persona, ad has duas res, ex March. de ord. tr. 3. p. 2. c. 23. n. 7.

Prima regula. Si petens Missam intendat remissionem peccatorum, si Applicationem Missæ, si Impetrationem, & similia pertinentia ad ipsum Missæ votum, electa est persona: si cultum, honoris, & utilitatem moditatem populi, si præsentiam, & similia pertinentia ad extrinsecam Missæ, electus est locus. Ratio est, quia hæc posterior intentio ostendit, præcipue intendi cultum loci, atque adeo eligi locum, ubi eligi celebrantem, atque adeo personam, utrumque intendat, certe erit simul persona, & electus.

3. Secunda regula. Si verba Fundatoris dirigantur ad locum, locus erit electus: si autem ad personam, Persona, v. g. si sic dicat: *Polo in Missa celebrare in tali Altari*, est electus locus. Si autem: *eligatur Sacerdos, qui Missam quotidianam dicat*, electa persona. Ratio regulæ est, quia id ad quod diriguntur Testatoris verba, principaliter intendit, rito præsumendum est. Quod si verba directæ ad personam, uterque, id est tum locus, tum persona erunt electa, ut si sic dicat: *Polo in tali Altari Sacerdos pro anima mea celebrare*. Verum si adhuc sint dubia, recuratur ad regulas datas in simili, §. 3. d. n. 15.

4. His positis, quamvis aliqui putent esse eligendum, & quando est electa persona, aliud eligendum, & quando est electus locus, Ita Sylvest. Salmadriq. Beia, Bonac. apud eundem March. loc. cit. n. 1. men puto esse probabile, posse dari absolutè hanc versalem regulam, Vt si sit electa persona live sine siue utrumque, Sacerdos Beneficiarius, Capellanus alio quopiam titulo obligatus toto anno Missam quocumque celebrare, possit intermittere, seu vacare semel in hebdomada. Sic Tol. l. 2. c. 3. n. 3. ex c. significatum, de preb. Gavantus in rubr. Missæ p. 3. tom. 1. n. 17. Bonac. d. 3. d. 4. q. ult. p. 7. n. 6. ibi, *Qua de causa nro recipiamus*, &c. favetque Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 6. ibi, *Quæ in hac domo*, Naldus v. Missa, n. 6. Ratio est, quia celebratio anno sine ulla intermissione, onus nimis grave imponere fundator nequaquam præsumitur, cum onus redundet semper in Sacerdotem, directæ quæ si ipse sit electus, indirectè, & per necessitatem sequentiam, si electus sit locus, ut in eo Sacerdos celebraret, semper enim celebratio quotidiana Sacerdotis incumbit.

Nota primò, nos non indigere ejusmodi dispensatione, si electa sit persona, vel si electus sit locus: æquipollens excusati quotidianum Capellanum indicimus, alioquin Fundatorem velle solum morali modo obligare, & cavere personam ad quotidianam Missam, non vult præsumere: ut item morali modo velle honorare locum, præsumit eligi Missa quotidiana decorandum.

Nota secundò, nos non asserere pro ratione electum, de Præbendis, quo aliqui ad hoc præsumunt, sed intentionem præsumptam, & intentionem Fundatoris: Putamus enim ex illo cap. non nos argumentari: siquidem ibi sic loquitur Pontifex de quotidiano Beneficiario: *Quanto frequentius præbenda honestate sua, & debita devotione Missæ celebrabitur*. Vbi Glossa sic habet: *Hoc dicit, quia non est habendum, vel ter Missam in die celebrare*: Vel, *Sacerdos sine peccato mortali, quod esset inhonestum*. Cum res sic explicari rectè possit textus, ut de facto explicari à Glossa, non possumus nisi huic textui ad præbendam illam vacationem in Beneficiario, vel legatario multo minus in obligato celebrare per solum unum annum, vel continuam hebdomadam, per